

XV

IN M. ANTONIVM ET CLEOPATRAM

*Asclepiadeo-Glyconicus*

Pāstor cum traheret per freta nāvibus  
Īdaeīs Helenēn perfidus hospitam,  
Ingrātō celerēs obruit ōtiō  
Ventōs, ut caneret fera

Nēreus fāta : ‘Malā dūcis avī domum,  
Quam multō repetet Graecia mīlite  
Coniūrāta tuās rumpere nuptiās,  
Et rēgnum Priamī vetus.

Ēheu, quantus equīs, quantus adest virīs  
Sūdor ! Quanta movēs fūnera Dardanae  
Gentī ! Iam galeam Pallas et aegida  
Currūsque et rabiem parat.

Nēquīquam, Veneris praesidiō ferōx,  
Pectēs caesariem, grātaque fēminīs  
Inbellī citharā carmina dīvidēs :  
Nēquīquam thalamō gravēs

Hastās, et calamī spīcula Cnōsiī  
Vītābis, strepitumque, et celerem sequī  
Āiācem. Tamen, heu ! sērus, adulterōs  
Crīnēs pulvere collinēs.

Nōn Lāertiadēn, exitium tuae  
Gentī, nōn Pylum Nestora respicis ?  
Vrgent impavidī tē Salamīnius  
Teucer, tē Sthenelus sciēs

Pūgnae, sīve opus est imperitāre equīs,  
Nōn aurīga piger. Mērionēn quoque  
Nōscēs. Ecce, furit tē reperīre atrōx  
Tūdīdēs, melior patre :

Quem tū, cervus utī vallis in alterā  
Vīsum parte lupum, grāminis immemor,  
Sublīmī fugiēs mollis anhēlitū ;  
Nōn hoc pollicitus tuae.

Īrācunda diem prōferet Īliō  
Mātrōnīsque Phrygum classis Achilleī :  
Post certās hiemēs ūret Achāicus  
Īgnis Īliacās domōs.’